



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 66. Cujusdam Herbipolensis Monasterii Abbas de Lutheri Secta
accusatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

vari, aut diutius tanto beneficio de-
fraudari patiaris.

Sæcul. XVI.

A.C. 1554.

§. LXVI.

*Cujusdam Herbipolensis Monasterii
Abbas de Lutheri secta accu-
satus.*

Paulo ante Joannes Frisius Neustaten-
sis Cœnobii in Herbipolensi Episco-
patu Abbas de Lutheri hæresi suspectus
die quinta Maij comparere, ac sexta
post die Herbipolin venire jubebatur,
ut ad quæstiones ipsi proponendas re-
sponderet. Quærebatur autem ab eo:
I. Num liceat jurare, & num jureju-
rando quis obligetur, II. num Casti-
monix, Paupertatis & Obedientix vo-
tum facere liceat, III. an obligent ejus-
modi vota, IV. num Ecclesix ministris
magis conveniat cœlibatus, quam ma-
trimonium, V. an una sit Ecclesia vera,
& Apostolica, VI. num hæc veluti
Sponsa Christi, perpetuo gubernetur a
Spiritu Sancto, VII. utrum vera sem-
per, & salutaria decernat, VIII. an
propter vitia quorundam, & errores
deferenda sit, IX. an hæc ipsa pro-
pter Caput Christi Vicarium, Romana
recte vocetur, X. an omnes utriusque
testamenti libri, quos Canon habet,
legitimi sint, atque veri, XI. num Sacra
Scriptura sit juxta Sanctorum Patrum,
Eccle-

Sleidan. l. 25.

p. 949.

Thu. hist.

l. 13.

Sæcul. XVI. Ecclesiæ Doctorum, & Conciliorum,
A. C. 1554 non autem Lutheri sententiam & id
 genus aliorum interpretanda XII. num
 præter Sacram Scripturam opus etiam
 fuerit aliis Traditionibus, cujusmodi
 sunt Apostolorum, & id genus aliæ:
 XIII. num iisdem traditionibus eadem
 debeat fides, autoritas, & obedien-
 tia, quæ Sacræ Scripturæ XIV. num
 Magistratui civili sit in politicis, & in
 sacris obtemperandum Ecclesiastico,
 XV. num septem Ecclesiæ sint Sacra-
 menta, sintne baptizandi pueri, XVI.
 num ad Baptismum adhiberi debeat
 lingua latina, Sal, oleum, aqua, cha-
 racteres, exorcismi, XVII. num bap-
 tismo deleatur omnino peccatum origi-
 nis, ita quidem, ut concupiscentia,
 quæ remanet, ejus peccati nomen amit-
 tat, XVIII. an panis in Corpus, &
 vinum in Sanguinem Christi virtute
 verborum, quæ Sacerdos enuntiat,
 mutetur, & consecretur, atque ita re-
 maneat, etiamsi non statim percipiatur,
 necnon eo modo consecrata Eucharistia
 sit veneranda, siue circumferatur ad
 honorem Christi, siue deferatur ad æ-
 grotos, aut etiam inclusa reservetur,
 XIX. an sub specie panis, & vini sit
 adorandus Christus, & sub utralibet
 specie sit totus Christus, atque delicto-
 rum confessio præparet hominem ad
 digne

digne percipiendam Eucharistiam, XX. Sæcul. XVI.
A. C. 1554.
 an Missa sit verum, & perenne Sacri-
 ficium, XXI. utrum uterque Missæ Ca-
 non sit retinendus, XXII. an Sacra-
 mentum Confirmationis sit exercendum,
 XXIII. an Pœnitentiæ sint tres partes
 Contritio, Confessio, Satisfactio, XXIV.
 num Sacerdos condonare peccata pos-
 sit ei, qui non sit antea confessus illa,
 & an soli Sacerdotes habeant potesta-
 tem Clavium XXV. an animæ piorum
 charitate nos prosequantur, & pro no-
 bis ad Deum intercedant, numve sint
 invocandi Divi, XXVI. utrum dies
 festi consecrati divinis recte celebrentur,
 XXVII. an divorum sint venerandæ re-
 liquiæ, XXVIII. num animæ piorum
 nondum expiatæ sublevantur Missis, pre-
 cationibus, jejuniis, eleemosynis, XXIX.
 an sit locus purgatorius, XXX. an qua-
 dragesimæ tempus, & alia per Eccle-
 siam indicta jejunia servari debeant,
 XXXI. an diebus ab Ecclesia vetitis
 abstinentium sit ab esu carniæ, XXXII.
 num Ceremoniis ad Religionem sit in-
 citandus populus & quæ ceremoniæ
 sint piæ, quæ minus? Adhæc Abbas
 die vigesimo septimo Maij proluxe qui-
 dem respondit, modo tamen perversis
 suis opinionibus undequaque confono,
 & quamvis errores suos Sacræ Scrip-
 turæ testimoniis ad reprobum sensum
 detor-

Sæc. XVI. detortis firmare niteretur, nihilominus,
A.C. 1554. cum in sua nequitia contumax persisteret, die vigesima quinta Junii condemnatus, suæque dignitate spoliatus ab omni sacra functione removebatur.

§. LXVII.

Compeggii Cardinalis obitus.

Ciacon. vit. Pont. tom. 3. p. 774.
Sigonius de Episc. Bon.
Ughel in Ital. Sacra Aubery vie des Cardin.

Hoc anno Sacrum Purpuratorum Collegium amiserat Alexandrum Campeggium ex Illustri Bononiensium familia die secunda Aprilis Anno Domini millesimo quingentesimo quarto natum. Patrem is habuit Laurentium Campeggium, qui mortua conjuge sua Sacræ militiæ nomen dabat, ac postea purpura decoratus fuit. Porro Alexandri fratres erant Rudolphus, & Joannes Baptista, quorum primus in armis educatus juvenili ætate mortalitatem exiit, alter vero Majoricensis Episcopus electus sermonis facundia, Theologiæ præstantia, ac Græci, latini-que idiomatis peritia sese celeberrimum reddebat, nec minorem laudis famam sibi comparabat Alexander præcipue sua animi lenitate, morumque integritate, necnon liberalitate, ac rara linguas addiscendi dexteritate. Porro Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo primo die ultima Julii ex Camera Apostolicæ Clerico ad Bononien-